



Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 5. Posse quidem vnum pro alterius, admeliorem, vitam, transitu orare;
sed hîc cautelâ opus esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

At in vitam mortalem sunt restituti. Ad paucos dies, immo horas his restitui, esset graue: & mallent vtiq; denuò mori, quàm consortio carere beatorum.

§. V.

Posse quidem vnum pro alterius, ad meliorem vitam, transitu orare: sed hîc cautela opus esse.

Ex quibus omnibus duo deduco. Primum, posse, sine iniuria, vnum amicorum aut sociorum, pro altero orare, vt Deus eum citò, ex hac misera vita, ad alteram felicem educat, & secum in cælo beatum faciat. Si enim id pro se, quem amare arctiùs obstringitur, facere potest, cur non etiam id possit pro altero? Dummodo ex vero, & non simulato, amore, aut odio, id faciat. Noui, in celebri Germaniæ ciuitate, arcularium, qui vulgò probus & vxoris suæ amans esse putabatur. Is lue, cum vxore sua, correptus ad extrema perductus, anima iam fugiente, audiuit, vxorem suam iam esse extinctam: quo nuncio lætus dixit: iam & ego libens moriar, postquam certus sum, me illam, post me, non relinquere, dudum dignam mori. Dixit. & ipse mox secutus, nescio, quam dicti sui mercedem reportarit.

Alio

Alio fine sancti alijs mortem vel optant vel orant. Quamuis rarissime; cum pronum sit cogitare, eos vtilius ad laborem laborisque præmium, in hac vita superesse: nec manus iniicienda sit sceptro supremi Gubernatoris, cuius pronidâ dispositione fortasse tales adhuc *Plantati in domo Domini: in atrijs domus Dei nostri florebut, & adhuc multiplicabuntur in senecta vberi; & bene patientes erunt, ut annuncient laudem omnipotentis.*

Pfal. 52.
13.

§. VI.

Qui alios ad diuinum tribunal citant, id ex odio, aut vindicta facere non debere.

Alterum, quod deduco, est: tametsi Deus, perinde iustitiæ ac amicitiae fautor, subinde exaudiat iniurijs ita pressos, vt alios non iam secum triumphaturos, sed, ante diuinum tribunal, disceptaturos, ad vallem Iosaphat, aut Dei iudicium particulare, citent; non tamen exaudire eum illos, qui charitate destituti, ita cum alijs agunt, vti secum agi non vellent. *Voluntatem timentium se facit.* Qui autem charitate proximi destituuntur, Deum non timent. Neque sane vllus vellet iniuste ipse vel ad ciuile tribunal, ne dum ad diuinum, vocari. Ergo
qui

Pfal. 144.
19.